

perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio Martyrum, inter quos, quæso, suscipiat **HODIE IN CONSPECTU TUO**, tamquam hostia pinguis. Innumera quoque sunt exempla in sacris Litoris præpotionis *Apud*, sive Παρά, realem præsentiam significantis. Et quum Dominus noster Matth. vi. i. dicat: *Alioquin mercedem non habebitis (παρά τῷ Πατρὶ ὑμῶν) apud Patrem vestrum, qui in Cælis est: mercedem hanc acceperint Sancti* necesse est, quando jam eorum Locus est apud Dominum. Ita magnus ille Polycarpus, S. Jo: Apostoli discipulus, & tunc *Asiæ princeps* a Hieronymo appellatus, & de quo S. Iræneus Lib. iii. cap. 3. ait: *Hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera; & testimonium hic perhibent, quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes.*

Ad hanc veritatem propius intuendam nos etiam manu ducet celebratissima Epistola circularis Ecclesiæ Smyrnenfis de Martyrio ejusdem S. Polycarpi, illis ipsis temporibus, hoc est circiter Annum Christi cexiii. vel cixvi. scripta. De Martyrum constantia ibi agitur cap. 2. *Oculis cordis respiciebant ad ea Bona, quæ tolerantibus reservantur: quæ nec Auris audivit, nec Oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt; ipsis autem a Domino monstrabatur, utpote qui non Homines amplius, sed Angeli essent.* Ergo jam sibi paratam conspiciebant in Cælis summam apud Dominum Felicitatem, atque in eam se brevi transferendos agnoscebant. Hac fide & spe armati, & jam velut Angeli, effecti tormenta despicerent, mortemque læti non sustinere tantum, sed & invitare consueverunt. Is sane fidem lætentium habeant nunc Christi Fideles, quam Barneto alia tradenti, & pleraque dissimulanti, quæ suas opinioni adversentur. Sed ut hæc etiam majori in lumine collocentur, en quæ dicere pergunt Smyrnenfis Ecclesiæ Presbyteri cap. xvii. postquam gloriosus Martyr Polycarpus inter flammam & gladios Animam in specie Columbæ exhalasset. *Sed quum æmulus ille ac invidus & malus, Justorumque generi adversus, cerneret insigne illius Martyrium, & illum Immortalitatis Coronam redimitum, ac (βραβεῖον ἀθανάτητων) Præmium minime dubium reportasse: operam dedit, ne Reliquiæ ejus a nobis auferrentur.* Contendit Barnetas, non ante finem Mundi Justis Præmia esse a Deo conferenda, atque secum in ejusmodi opinione concordēs esse primitivos Christianos. En ut iis pro certo persuasum erat, confestim post mortem Præmium, & Coronam Immortalitatis a beneficentissimo Deo fuisse invictis Martyri illi collata; cuius etiam Præmii nuper S. Clemens certiores nos fecit. Et quid Corona illa, nisi quam S. Jacobus in Epist. cap. i. 12. descripsit, inquit: *Beatus vir, qui suffert temptationem, quoniam, quum probatus accipiet Coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se? Quid, inquam, Corona, nisi Beatitudo Cælestis, de qua scribit Apostolorum Princeps in Epist. i. cap. v. 4. Et quum apparuerit Princeps Pastorum (scilicet ad singulorum mortem) percipietis immarcescibilem Gloriæ Coronam? Denique in Smyrnenis Epistola idem repetitam videas hi-*